



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 157. Legati Orientalium Principum ad Papam

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

tia exceptus. Paulo post Tiburtius cum Sæcul. XV.
 præcipuis factionis suæ sociis compre- A.C. 1460.
 hensus, suspendio dignas scelerum suorum
 poenas dedit.

§. CLVII.

*Legatio Principum Orientis ad
 Papam.*

Ipso Pontificatus sui exordio Pius Papa
 ad Christianos Armeniæ, ac Mesopo-
 tamix Reges decrevit Ludovicum Ordini
 FF. Minorum, patria Bononiensem,
 qui hosce Principes adhortaretur, ut
 Christianis interea in Europa Turcas bello
 prementibus, ipsi in Asia eosdem ag-
 grederentur. Vix Pontifex Mantua Ro-
 mam redierat, jam ipse Ludovicus in ur-
 bem reversus est. Comitabantur eum
 Davidis Imperatoris Trapezuntini, Geor-
 gii Persarum Regis, ac utriusque Ar-
 meniæ Principum legati, necnon plurium
 aliorum Orientis Magnatum Oratores,
 qui per Colchidem & Scythiam iter a-
 gressi, Tanarium, ac Danubium traje-
 cerunt, demum vero in Hungariam ac
 Germaniam pervenerunt, ubi Fridericum
 Imperatorem salutantes, postea Venetiis
 summis honoribus excepti sunt. Romanæ
 Urbi appropinquantes, Prælatorum non-
 nullos obviam habuerunt, denique a Pa-
 pa ad alloquium admissi, in Patrum Se-

Uu 2 natu

Sæcul. XV. natu, se in omnibus Sanctitati suæ ob-
A.C. 1460. temperaturos promiserunt, dixeruntque,
 eorum Principes gravia quidem inter se
 bella gessisse, sed jussu Pontificis ea de-
 posuisse, nunc vero paratos esse ad arma
 protinus resumenda, quibus Turcarum in-
 sultus in Asia compescerent; hinc se cum
 duodecim suorum millibus præsto fu-
 turos, atque usque ad Hellespontum &
 Thraciæ Bosphorum progressuros, cum
 interea Europæi in illa regione pariter
 Mahometem aggredierentur; addebant, ad
 id se missos, ut Sanctitatem suam de con-
 ceptis hisce consiliis edocerent, ejus-
 demque tanquam vicem Dei gerentis
 pedes oscularentur. Iphis quoque pari
 foedere junctos dicebant Bendiam Men-
 greliæ, & Arabiæ Regem, necnon Pan-
 cratium Regem Iberiorum, qui Georgi-
 ani nuncupantur, & Maniam Goriæ Mar-
 chionem, atque Ismaelem Sinopis, &
 Casatimeniæ Principem unacum Fabio
 Caramniæ Duce, ac Ciliciæ Domino,
 quorum maxima futura essent auxilia:
 Illud tamen modo se petere, ut Pontifex
 Ludovicum, quo comite Romam ve-
 nissent, cunctis in Oriente Catholicis Pa-
 triarcham præficeret. His auditis Pius II.
 Principum desideria, & promissa depræ-
 dicavit, atque haud abs re sibi videri re-
 spondit, ut ipsi Legati ad Galliarum Re-
 gem ac Burgundiæ Ducem accederent;
 his

his enim inconsultis expeditiones ejusmo-
 di moliri summæ, ac ne vix quidem supe-
 randæ difficultatis negotium esse ajebat,
 hanc quippe esse illam nationem, quæ sæ-
 pe adversus infideles gloriose certasset,
 & nunc quoque Turcis præcipue timen-
 da foret. Annuentibus Legatis itineris
 hujus expensæ suppeditantur; & in eo-
 rundem gratiam Patriarchatus Monacho
 conceditur, ea tamen lege, ne se Patriar-
 cham aut diceret, aut gereret, antequam
 ad eos reverteretur; Verum magnifica
 Legatorum consilia eventus fefellit.

Sæcul. XV.
 A. C. 1460.

§. CLVIII.

*Jacobi II. Scotorum Regis
 obitus.*

Hoc anno Jacobus II. Scotiæ Rex, cum
 Rosenbergense castellum obsidione
 premeret, disruptæ bombardæ fragmen-
 to tertia die Mensis Augusti interiit; Eo
 occiso ingenti regiminis vicissitudine Sco-
 tia haud parum turbatur. Regina de-
 functi conjux, nomine Maria, Ducis Gel-
 driæ Filia, eo ipso die in castra venerat,
 nec Viri fato dejecta, obsidionem tam vi-
 rili fortitudine prosequitur, ut Anglos ad
 deditonem arcis compelleret, quam vix
 captam, ne novi belli occasio foret, solo
 æquari jussit. Maximum Rex sui desi-
 derium

Boetius l. 18.
 Buchenan.
 l. 11.

U u 3